

## Prophetia Jonæ

---

**1** <sup>1</sup> Et factum est verbum Domini ad Jonam, filium Amathi, dicens : <sup>2</sup> Surge, et vade in Niniven, civitatem grandem, et prædica in ea, quia ascendit malitia ejus coram me. <sup>3</sup> Et surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis a facie Domini, et descendit in Joppen : et invenit navem euntem in Tharsis, et dedit naulum ejus, et descendit in eam ut iret cum eis in Tharsis a facie Domini. <sup>4</sup> Dominus autem misit ventum magnum in mare : et facta est tempestas magna in mari, et navis periclitabatur conteri. <sup>5</sup> Et timuerunt nautæ, et clamaverunt viri ad deum suum, et miserunt vasa quæ erant in navi, in mare, ut alleviaretur ab eis ; et Jonas descendit ad interiora navis, et dormiebat sopore gravi. <sup>6</sup> Et accessit ad eum gubernator, et dixit ei : Quid tu sopore deprimeris ? surge, invoca Deum tuum, si forte recogitet Deus de nobis, et non pereamus. <sup>7</sup> Et dixit vir ad collegam suum : Venite et mittamus sortes, et sciamus quare hoc malum sit nobis. Et miserunt sortes, et cecidit sors super Jonam. <sup>8</sup> Et dixerunt ad eum : Indica nobis cujus causa malum istud sit nobis : quod est opus tuum ? quæ terra tua, et quo vadis ? vel ex quo populo es tu ? <sup>9</sup> Et dixit ad eos : Hebræus ego sum, et Dominum Deum cæli ego timeo, qui fecit mare et aridam. <sup>10</sup> Et timuerunt viri timore magno, et dixerunt ad eum : Quid hoc fecisti ? cognoverunt enim viri quod a facie Domini fugeret, quia indicaverat eis. <sup>11</sup> Et dixerunt ad eum : Quid faciemus tibi, et cessabit mare a nobis ? quia mare ibat, et intumescebat. <sup>12</sup> Et dixit ad eos : Tollite me, et mittite in mare, et cessabit mare a vobis : scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos. <sup>13</sup> Et remigabant viri ut reverterentur ad aridam, et non valebant, quia mare ibat, et intumescebat super eos. <sup>14</sup> Et clamaverunt ad Dominum, et dixerunt : Quæsumus, Domine, ne pereamus in anima viri istius, et ne des super nos sanguinem innocentem : quia tu, Domine, sicut voluisti, fecisti. <sup>15</sup> Et tulerunt Jonam, et miserunt in mare : et stetit mare a fervore suo. <sup>16</sup> Et timuerunt viri timore magno Dominum : et immolaverunt hostias Domino, et voverunt vota.

**2** <sup>1</sup> Et præparavit Dominus piscem grandem ut deglutiret Jonam : et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus et tribus noctibus. <sup>2</sup> Et oravit Jonas ad Dominum Deum suum de ventre piscis, <sup>3</sup> et dixit :  
Clamavi de tribulatione mea ad Dominum,  
et exaudivit me ;  
de ventre inferi clamavi,  
et exaudivisti vocem meam.  
<sup>4</sup> Et projecisti me in profundum in corde maris,  
et flumen circumdedit me :  
omnes gurgites tui, et fluctus tui super me transierunt.  
<sup>5</sup> Et ego dixi :  
Abjectus sum a conspectu oculorum tuorum ;

verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum.

<sup>6</sup> Circumdederunt me aquæ usque ad animam :

abyssus vallavit me,  
pelagus operuit caput meum.

<sup>7</sup> Ad extrema montium descendi ;

terræ vectes concluserunt me in æternum :  
et sublevabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus.

<sup>8</sup> Cum angustiaretur in me anima mea,

Domini recordatus sum :  
ut veniat ad te oratio mea,  
ad templum sanctum tuum.

<sup>9</sup> Qui custodiunt vanitates frustra,  
misericordiam suam derelinquunt.

<sup>10</sup> Ego autem in voce laudis immolabo tibi :  
quæcumque vovi, reddam pro salute Domino.

<sup>11</sup> Et dixit Dominus pisci, et evomuit Jonam in aridam.

**3** <sup>1</sup> Et factum est verbum Domini ad Jonam secundo, dicens : <sup>2</sup> Surge, et vade in Niniven, civitatem magnam, et prædica in ea prædicationem quam ego loquor ad te. <sup>3</sup> Et surrexit Jonas, et abiit in Niniven juxta verbum Domini : et Ninive erat civitas magna, itinere trium dierum. <sup>4</sup> Et cœpit Jonas introire in civitatem itinere diei unius : et clamavit, et dixit : Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur. <sup>5</sup> Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum, et prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis, a majore usque ad minorem. <sup>6</sup> Et pervenit verbum ad regem Ninive : et surrexit de solio suo, et abjecit vestimentum suum a se, et indutus est sacco, et sedit in cinere. <sup>7</sup> Et clamavit, et dixit in Ninive ex ore regis et principum ejus, dicens : Homines, et jumenta, et boves, et pecora non gustent quidquam : nec pascantur, et aquam non bibant. <sup>8</sup> Et operiantur saccis homines et jumenta, et clament ad Dominum in fortitudine : et convertatur vir a via sua mala, et ab iniquitate quæ est in manibus eorum. <sup>9</sup> Quis scit si convertatur et ignoscat Deus, et revertatur a furore iræ suæ, et non peribimus ? <sup>10</sup> Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala : et misertus est Deus super malitiam quam locutus fuerat ut faceret eis, et non fecit.

**4** <sup>1</sup> Et afflictus est Jonas afflictione magna, et iratus est : <sup>2</sup> et oravit ad Dominum, et dixit : Obsecro, Domine, numquid non hoc est verbum meum cum adhuc essem in terra mea ? propter hoc præoccupavi ut fugerem in Tharsis : scio enim quia tu Deus clemens et misericors es, patiens et multæ miserationis, et ignoscens super malitia. <sup>3</sup> Et nunc, Domine, tolle, quæso, animam meam a me, quia melior est mihi mors quam vita. <sup>4</sup> Et dixit Dominus : Putasne bene irasceris tu ? <sup>5</sup> Et egressus est Jonas de civitate, et sedit contra

orientem civitatis : et fecit sibimet umbraculum ibi, et sedebat subter illud in umbra, donec videret quid accideret civitati. <sup>6</sup> Et præparavit Dominus Deus hederam, et ascendit super caput Jonæ, ut esset umbra super caput ejus, et protegeret eum (laboraverat enim) : et lætatus est Jonas super hedera lætitia magna. <sup>7</sup> Et paravit Deus vermen ascensu diluculi in crastinum : et percussit hederam, et exaruit. <sup>8</sup> Et cum ortus fuisset sol, præcepit Dominus vento calido et urenti : et percussit sol super caput Jonæ, et æstuabat : et petivit animæ suæ ut moreretur, et dixit : Melius est mihi mori quam vivere. <sup>9</sup> Et dixit Dominus ad Jonam : Putasne bene irasceris tu super hedera ? Et dixit : Bene irascor ego usque ad mortem. <sup>10</sup> Et dixit Dominus : Tu doles super hederam in qua non laborasti, neque fecisti ut cresceret ; quæ sub una nocte nata est, et sub una nocte periit : <sup>11</sup> et ego non parcam Ninive, civitati magnæ, in qua sunt plus quam centum viginti millia hominum qui nesciunt quid sit inter dexteram et sinistram suam, et jumenta multa ?